

a Regulis et Constitutionibus Ordinis, aut Apostolicis privilegiis consequuti sunt. Alterum genus eorum est, qui dicuntur *in Dioecesi* quatenus potestatem exercent *in Clerum et Populum* certi loci, qui in Dioecesi alterius Episcopi continetur: propterea territorium ab ea separatum non habent, eorumque jurisdic^{tio} videtur magis esse personalis quam localis. Tertium denique genus Praelatorum, qui *nullius* dicuntur, omnium nobilissimum est: habent enim jurisdictionem in Clerum et Populum alicujus loci vel Oppidi, aut etiam plurium locorum vel Oppidorum omnino avulsam et separatam a jurisdictione Episcopi Dioecesis, et ideo constituunt quamdam quasi Dioecesim, et sunt eorum locorum Ordinarii. Horum jurisdic^{tio} quasi Episcopalis dicitur, eo quod exceptis iis quae Ordinis Episcopalis sunt, reliqua omnia suo jure exercent; Synodus tamen celebrare non possunt, nisi a Sede Apostolica expressum privilegium convocandi Synodum obtinuerint, et nisi de usu ejusdem privilegii legitimate constiterit. Quoniam vero jus convocandi Synodum, et jus indicendi concursus ad Parochiales Ecclesias quodammodo inter se connexa videntur, quum ex Concilii Tridentini sess. 24 cap. 18 de Reform. concursus coram Examinatoribus in Synodo Dioecesana electis instituendus sit, idcirco qui Synodum congregare potest, concursum etiam et examen indicere, eaque omnia praestare poterit quae ab eodem Concilio sancita sunt citato loco.

CAPUT III.

DE CANONICIS ET PAROCHIS:

§ 19.

DE ORIGINE CANONICORUM.

Primitus Ecclesiae saeculis Canonicorum nomen Clericis omnibus commune fuit, tum quia per sacram ordinationem canoni seu matricolae Ecclesiae, id est ecclesiastico ministerio abdicebantur, tum quia ex bonis ecclesiasticis canonem seu certam portionem, vel sportulam singulis diebus vel hebdomadibus, vel mensibus seorsim accipiebant, tum quia vitam sub Canone, videlicet sub certa quadam ecclesiastica regula agebant. Ejus ecclesiasticae regulae praecipuum caput erat vita communis, quam fideles omnes, in primisque Clerici ab ipsis Apostolis edocti fuerant. At lapsu temporis cum ea rerum communitas negligeretur, in ea promovenda, et ubi lapsa esset restituenda, sanctissimi Antistites Ecclesiae bono nati plurimum laboraverunt. Hinc Canonici deinceps vocati sunt i soli, qui communem quodammodo vitam, et certam vivendi regulam sectabantur.

Verum a saeculo decimo illud communis vitae institutum nutare coepit, et sensim corruvit. Non omnes tamen Clerici ab ea vivendi forma recesserunt; namque aliqui clericalem statum cum vita monastica conjunxerunt, et propterea Canonici Regulares appellati sunt. Caeteri autem Clerici, qui abjecta vita communi suis in dominibus singularem vitam agebant, Canonici saeculares dicti fuerunt; saeculares quidem, quia propria bona retinentes, perpetuisque praebendis donati in saeculo viverent; Canonici autem vocati, ideo quod in Ecclesiis Cathedralibus unum veluti corpus cum Episcopo componebant.

Modo itaque Canonici vel Ecclesiis Cathedralibus addicti sunt, et Canonici Cathedralis Ecclesiae dicuntur, vel alicui inferiori Ecclesiae serviunt, et Canonici Ecclesiae Collegiatae nuncupantur. At Canonici Ecclesiae Cathedralis antea comparatum retinuerunt, namque excluso reliquo Clero antiquum Presbyterium et Senatum Episcopi constituant, eorumque consilio ecclesiastica negotia tractantur.

§ 20.

DE DOTIBUS AD OBTINENDUM CANONICATUM.

In eo qui ad Canonicatum adspirat, multae dotes desiderantur: 1. Est ordo, ut nimur illo ordine insignitus sit qui Canonicatui adnexus est, videlicet Presbyteratu, si praebenda Presbyteralis, Diaconatu si Diaconalis, et Subdiaconatu si Subdiaconalis sit, aut saltem ut infra unius anni spatium eodem ordine initietur. Qui vero nondum Subdiaconus est sive in Cathedrali, sive in Collegiata Ecclesia vocem non obtinet in Capitulo, etiamsi id sibi libere a Canonicis aut Episcopo concederetur. 2. Est aetas: in Canonicatibus Ecclesiae Collegiatae aetas quatuordecim annorum satis habetur, nisi certus ordo Canonicatui sit adjunctus, sua nisi major aetas ex tabulis fundationis requiratur. At vero in Ecclesiis Cathedralibus nemo aptus est ad Canonicatum nisi qui vigesimum primum agat aetatis annum, ita ut infra annum ipsum sacro Subdiaconatus Ordine initietur; major vero requiritur aetas, si superior ordo Diaconatus, vel Presbyteratus Canonicatui adnexus fuerit. Dignitates vero Canonicales curam animarum habentes vigesimum quintum aetatis annum postulant. 3. Est Theologiae et SS. Canonum scientia; Canonici enim praesertim Ecclesiae Cathedralis Episcopo a consiliis sunt in regimine animarum; qua in re quantum necesse sit res fidei et morum, et Ecclesiasticas leges callere, nemo est qui non apertissime cog-

noscat. 4. Eximia vitae integritas, quamobrem Concilium Tridentinum sess. 29. cap. 12 de Reform. Canonicos monet, «ut ea integritate morum polleant, ut merito Ecclesiae Senatus dici possint. »

§ 21.

DE OFFICIIS CANONICORUM.

Canonicorum officia, vel singulorum peculiaria sunt, vel omnibus communia. Officium cuiuslibet Canonici positum est in eo peculiari munere, digne diligenterque explendo quod ipsius Canonicatui adjunctum est. Omnes vero Canonici tenentur: 1. Ad professionem fidei emittendam: «Provisi de Canonicatibus et Dignitatibus in Ecclesiis Cathedralibus non solum coram Episcopo seu ejus Officiali, sed etiam in Capitulo orthodoxae suae fidei publicam facere professionem tenentur, et in Romanae Ecclesiae obedientia se permansuros spondere et jurare, alioquin fructus non faciant suos, nec illis possessio suffragetur. » Concilium Tridentinum sess. 24 cap. 12 de Reform. 2. Ad solemnam horarum Canonicarum recitationem, aliaque obeunda divina officia vel quotidie, vel alternis vicibus, aut hebdomadibus pro more institutoque Capitulorum. Omnes vero divina per se et non per substitutos compellantur obire officia, quod sancitum est a Concilio Tridentino saepius cit. loc. At Sacra Congregatio Concilii de 15 Decembris 1603 in causa Eugubina censuit, sublatam non esse Canonicis, et Mansionariis in Civitate vel Suburbiis degentibus, non autem ipsorum Coadjutoribus, facultatem «sese invicem substituendi, dummodo eodem tempore substituens et substitutus eidem servitio adscripti non sint. » Quin imo Ivo Carnotensis quotidianas distributiones invenit: «Ut ad quas horas Canonicas panis interni refectio non movebat, panis corporei refectio provocaret» sicut ipse loquitur in epistola ad Paschalem Papam. Quod quidem institutum Tridentina Synodus proba-

vit, atque adeo jussit, ubi distributiones nullae aut nimis tenues essent, tertiam Canoniciatum partem in quotidianas distributiones impendi. Decreuit etiam, ut « distributiones, qui statutis horis interfuerint, recipient; reliqui, quavis collusione aut remissione exclusa, his careant juxta Bonifacii VII decretum. » 3. Ad residentiam; siquidem Canonici propria officia atque munera explere nequeunt nisi in suis Ecclesiis immorentur. Verumtamen Tridentina Synodus indulget, ut Canonici ex aliqua honesta causa tres menses abesse possint « salvis nihilominus earum Ecclesiarum Constitutionibus, quae longius servitii tempus requirunt. » Sunt autem causae quae-dam Sacris Canonibus probatae, quibus ultra tres menses Canonici abesse licet, quin tamen fructus praebendae, et distributiones quotidianas amittant. Hae legitimae causae absentiae tres numerantur a Bonifacio VIII in cap. CONSUE-TUDINEM de Cler. non resid. 1. Infirmitas seu morbus. 2. Corporalis necessitas, uti captivitas, carcer, senium, etc. 3. Evidens Ecclesiae utilitas. Vide passim Canonistas, et praesertim Benedictum XIV Institut. Ecclesiast. 407

§ 22.

DE POTESTATE CAPITULI CATHEDRALIS.

Omnia Capitula, quatenus peculiare corpus et ab Episcopo separatum constituant, absque Episcopo conventus agunt, de rebus ad Capitulum pertinentibus deliberant, nova statuta condunt, non tamen fundationis legi aut praescriptae consuetudini, nec juri communi, nec juribus tertii contraria, atque a legitimo Superiore probanda et confirmanda, proprio sigillo utuntur, et Syndicu[m] habent qui negotia Capituli gerit. At vero Cathedralis Ecclesiae Capitulum, quatenus unum corpus efficit cum Episcopo, et Senatum Ecclesiae constituit, amplissima potestate potitur tum Sede Episcopali plena, tum

§ XXII. DE POTESTATE CAPITULI CATHEDRALIS. 35

ipsa Sede vacante. Sede Episcopali plena pleraque negotia sunt, in quibus tenetur Episcopus aut consensum aut saltem consilium Capituli exquirere, quandoquidem Canonici Ecclesiae Cathedralis sunt Consiliarii nati Episcoporum, ex cap. Novit. de his quae fiunt a Prael.; et cap. QUANTO eod.; et quodammodo vices gerunt antiqui Presbyterii, cuius operam et consilium in regenda Ecclesia Episcopi adhibebant. Igitur generalis regula est, ne quid Praesul in negotiis gravioribus sine Capituli consilio aut consensu agat, et ita quidem, ut quae de consensu Capituli fieri debent, eo neglecto nulla sint. Quare Episcopus et eum consensum exquirere, et illud facere cogitur quod major Capituli pars faciendum esse duxerit. Dum vero consilium Capituli postulatur, oportet illud audire, non tamen sequi, quod consilium necessitatem non infert, eaque de causa tantum exquiritur ne quid Episcopus inconsiderate et negligenter agat. At vero si Episcopus, ubi consilium petendum erat, illud non petierit, res gesta putatur valida, nisi consilium sub conditione actum irritante quaerendum esset. Qua de re legendus Schmalzgrueber ad hunc titulum num. 16. Quibus autem in rebus aut consensus, aut consilium Capituli requirendum sit, vix statui potest. Certe quidem consensu Capituli opus est in causis, ubi de re ad Capitulum quavis ratione pertinente agitur, in alienandis rebus ecclesiasticis, in conjungendis Ecclesiis vel Beneficiis; Consilium autem audiendum est in convocanda Synodo, et Statutis in ea condendis, in puniendis Clericis, in ferendis Censuris, aliisque causis id genus, de quibus Interpretes ad hunc titulum fusiorem sermonem habere solent. Illud unum observabimus, quod ex antiqua sua Ecclesiae consuetudine eximi Episcopus potest ab obligatione aut consensu aut consilii requirendi in iis quoque rebus, in quibus spectato jure communi ad consilium vel consensum exquirendum obstringeretur, quod plane colligitur ex cap. EA noscitur de his quae fiunt a Prael. et ex cap. NON EST de Consuetudine in 6.

At, vacante Sede Episcopali, non ex privilegio vel delegatione, sed ex jure communi administratio Ecclesiae vacantis ad Capitulum pertinet. In ipsum enim ordinaria Episcopi iurisdictio transfertur per textum in cap. His quae, et in cap. CUM OLIM de Major. et Obed. Itaque Capitulum, vacante Sede, statuta condit, et poenas infligit, Fagnanus in cap. A NOBIS 21 de sent. excom. num. 45 et seqq.; causas ecclesiasticas cognoscit atque dirimit, et caetera peragit quae ordinaria potestate Episcopali continentur. Caeterum multa sunt, quae, dum Ecclesia vacat, Capitulum agere nequit. In primis itaque non facit ea quae sunt ordinis Episcopalis, licet ad exercenda Pontificalia recte queat exterum Episcopum advocare. Item quo primo anno Sedes vacat, litteras dimissorias ad suscipiendum ab alieno Episcopo ullum ordinem non concedit, nisi Clericis arctatis, iis nempe qui ratione beneficii ecclesiastici recepti, aut recipiendi ad ordinem suscipiendum compelluntur; post annum autem a die vacationis, sive post annum luctus Clericos omnes etiam non arctatos ad ordines suscipiendos dimittit. Nihil quoque, vacante Sede, innovare potest de juribus Episcopalibus, nec bona Ecclesiae alienare et donare, in proprios usus convertere, ejus statum deteriorem facere, nec litem de juribus Ecclesiae movere aut prosequi, quod ex natura interregni dimanat, in quo nihil innovant, nihil diminuunt qui gubernant, sed tantum ea sibi sumunt quae sine damno non differuntur. Hinc praesentatos a patro- nis instituit, quod institutio est actus justitiae et necessitatis; sed beneficia non confert, neque ad ea eligit, nec praesentat, ubi collatio, electio aut praesentatio ad unum Episcopum pertinent, neque etiam Parochiales Ecclesias vacantis confert, sed tantum concursum indicit, et repertos idoneos et inter ipsos magis idoneum Pontifici exhibit: qua de re multis agit Fagnanus in cap. 2 Ne Sede vacante aliquo innov. Denique Capitulum non facit ea quae ex Canonum delegatione Episcopis concessa sunt, nec potest iis negotiis sese immiscere, quae

per rescripta sive per litteras Apostolicas Episcopo aut ejus Vicario Generali commissa fuerint, quamvis uterque rem infectam reliquerit.

§ 23.

DE VICARIO CAPITULARI.

Quanquam viduatae Ecclesiae regimen ad universum Capitulum spectet, ejus tamen regiminis administratio singulari personae committenda est. Etenim Tridentini Patres constituerunt, « ut Capitulum, Sede vacante, Officiale seu Vicarium infra octo dies post mortem Episcopi constituere, vel existentem confirmare omnino teneatur, qui saltem in jure Canonico sit Doctor, vel Licentiatus, vel alius quantum fieri poterit idoneus: si secus factum fuerit, ad Metropolitanum deputatio hujusmodi devolvatur. Et si Ecclesia ipsa Metropolitana fuerit, aut exempta, Capitulumque ut praefertur negligens fuerit, tunc antiquior Episcopus ex Suffraganeis in Metropolitana, et propinquior Episcopus in exempta OEcumenum et Vicarium idoneos possit constituere. » Eligendus est autem Vicarius ex Canonicis Ecclesiae Cathedralis, sed non vetatur Capitulum extraneum etiam eligere, cum praesertim ex Canonicis nemo sit qui ad id muneric par et idoneus habeatur. Semel autem Vicarius electus revocari non amplius potest, nisi causa cognita, et a S. Congregatione Episcoporum et Regularium probata, quod ab eadem Congregatione saepedeclaratum esse refert Barbosa de Canon. et Dignitat. cap. 24 n. 47. Praeterea nihil sibi potest Capitulum reservare, sed tota potestas, quam habet, in Vicarium conferenda omnino est. Tempus autem dierum octo currit a die quo notitia vacationis habita sit: et si Ecclesia per translationem Episcopi vacaverit, duo meminisse oportet: primum est, jurisdictionem penes ipsum Episcopum prorogari, quoad ejus vinculum cum priori Ecclesia in Consistorio Pontificis solutum fuerit; se-

38 CAP. III. DE CANONICIS ET PAROCHIS.

cundum est, perlata ejus solutionis notitia ex documento Secretarii S. Collegii, vel alio indubio testimonio, Episcopum translatum ab omni usu jurisdictionis abstinere omnino debere, etiamsi Apostolicae litterae translationis nondum expediteae, nec secundae Ecclesiae possessionem adeptus fuerit.

Vacantis Ecclesiae Vicarius esse nequit, qui futurus est ejusdem Ecclesiae Episcopus. Cum enim Tridentina Synodus sess. 24 cap. 16 de Reform. jussert « Episcopum ad vacantem Ecclesiam promotum de iis quae ad eam spectant ab Oecono, Vicario et aliis quibuscumque, Sede vacante, constitutis rationem exigere » perspicuum est Vicarii Capitularis et futuri Episcopi personam esse distinctam oportere, cum sibi nemo rationem reddat. Ad haec Patres Concilii Lugdunensis II cap. AVARITIAE de Election. in 6º constituerunt, « ut nullus de caetero administrationem dignitatis ad quam electus est, priusquam celebrata de ipso electio confirmetur, oeconomatus vel procreationis nomine, aut alio de novo quaesito colore in spiritualibus, vel temporalibus per se, vel per alium pro parte, vel in toto gerere, vel recipere, aut illis se immiscere praesumat: omnes illos qui secus fecerint, jure si quod eis per electionem quae situm fuerit decernentes eo ipso privatos. » Bonifacius VIII Extravag. INJUNCTAE inter comm. ; Alexander V Constit. EX INJUNCTO, Julius II Constit. ROMANI PONTIFICIS, et Julius III, ut alias mittam, Constit. SANCTISSIMUS, non modo Lugdunensi Canoniadstipulati sunt, verum etiam poenas in eo sanctitas admodum auxerunt. Jam vero si nemo ad Episcopatum electus vel nominatus ante confirmationem possit quovis unquam nomine, vel quaesito colore administrationem ejus Episcopatus suscipere, consequens omnino est, electum vel nominatum Episcopum in Vicarium Capitularem constitui nullo pacto posse, secus enim hoc nomine vacantem Ecclesiam administraret. Quamobrem Clemens XI in suis litteris in forma Brevis incipientibus IN SUPREMO, datis die 24 Augusti 1709, jure merito declaravit,

§ XXIV. DE DIV. HONOR. GRAD. IN CAPITULO. 39

Franciscum de Solis, qui habita a Philippo V Hispaniarum Rege ad Episcopatum Abulensem nominatione, regimen et administrationem ejusdem Episcopatus, ceu Procurator et Vicarius, ante Apostolicam confirmationem aggressus erat « nullam in eadem Ecclesia sive quoad temporalia, sive quoad spiritualia jurisdictionem aut potestatem habere vel habuisse, adeoque nec ullam circa ea quae Sacramentorum administrationem, causarum cognitionem, aut alias forum conscientiae, vel contentiosum quomodolibet concernunt, auctoritatem interponere ullo modo valide posse nec potuisse. » Sic etiam Pius VII in suis litteris Savonae datis ad Vicarium Capitularem Ecclesiae Florentinae die 4 Decembris 1810, tum aliis ad Vicarium Capitularem Ecclesiae Parisiensis datis die 19 ejusdem mensis et anni graviter pronuntiavit, Episcopos ad eas sedes nominatos administrationi earumdem Sedium recipiendae, gerendaque sub Vicarii Capitularis, aut alio quovis nomine inhabiles prorsus esse, atque adeo administrationem hujusmodi « non modo improbandam, verum etiam irritam et nullam fore, quoniam adversus sanctissimas Ecclesiae leges, ejusque vigentem disciplinam attentaretur, et manifeste tenderet ad principia legitimae missionis obscuranda et destruenda. »

§ 24.

DE DIVERSIS HONORIS GRADIBUS IN CAPITULO.

Inter Canonicos eminent qui Personatum, aut Officium, aut Dignitatem obtinent. Personatus est honoris praerogativa sine ulla administratione et jurisdictione : Officium est administratio rerum ecclesiasticarum sine ulla honoris praerogativa et jurisdictione : Dignitas est praerogativa honoris cum jurisdictione aut administratione. His honoris gradibus praesertim insigniti fuerunt Archidiaconi, Archipresbyteri, Praepositi, Decani, Primicerii, Cantores, Thesaurarii et Scholastici.